

Causae bellorum (i) Caroli M. contra Saxones a) quod, praedecessoribus Franc. RR. tributarii, (k) ab officio discessissent, b) Thuringis, qui Francis addicti, graues essent, c) creberrimis excursionibus ipsos Francorum limites (l) infestarent, d) negarent amicitiam Carolo M. e) Pontifex auctor esset tot gentium victori, terminos Christianorum sacrorum proferendi. Cur 33. annos in perduellione perdurauerint Saxones? R. quod essent a) pristinae libertatis, b) auitae religionis inprimis tenacissimi, c) sacerdotes Christiani sacro fonte lauarent, quotquot e Saxonibus crucis gesticationem edocti fuerant, licet cetera dogmatum fidei Christianae ignari; moribus improbi; imo neque pristina superstitione liberati essent; d) Christianorum pessima vita ipsi Christianismo maculam daret; e) regionem maioris haberi, quam religionem, vulgus etiam Saxonum sentiret; f) ferrum ac ignis hypocritas facerent, non Christianos. *Cursim de Vaemico iudicio.* Wittekindus ubi sacro (m) fonte lauatus? an in vico Fuldensi, Mittenbach? an vero Bardeuici? an Bethelhemii in Osnabrugensi tractu? an Osteruici? an Mindae? an Attiniaci? Singulis enim locis hic honor a diuersis tribuitur. Saxonia exculpta; a) coenobiis plurimis, erudiendae iuuentutis ergo, institutis: b) episcopatibus factis, c) scribendi,

(i) In causis bellorum etiam est, quod, Francis in Galliam abeuntibus, veteres illorum sedes Saxones occuparint.

(k) Auct. Chronici in Fredegarii continuatione ad Annum DCCXLVII. de Carolomanno: Saxones pacem petentes iuri Francorum sese, vt antiquitus mos fuerat, subdiderunt, & ea tributa, quae Clothario quondam praestiterant, plenissima solutione ab eo tempore deinceps esse se reddituros promiserunt. Conf. Annal. Pithoeani ad An. DCCLVII.

(l) Saxones Francorum limites inuasisse, ab illisque reiectos interdum quoque victores fuisse, testatur Aimoinus l. 2. Hist. Franc. c. 27.

(m) Varias de loco baptismi traditiones prolixè recenset Iacobus Andreas Crusius in Wittik. suo c. 12. & seq. cap. probat testimoniis Annalium Fuldensium, Reginonis, Abbatis Urspergensis & Gobelini Attiniaci Wittekindum sacro fonte lauatum. Turcius Iesuita vero in Fastis Carolinis p. 27. edit. Leuckfeld. dicit, verisimilius videri aut Attinien^{si}, aut in vico Belem, quem alii quoque Bethelhemium vocant, haud procul Osnabrugo sacrum baptismum illi collatum.